Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36522
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

non oportet ut velent crinibus capita eorum qui domino consecrantur. Sed tantum ut reveletur quod erat occultum in sacramento prophetie, iam in evangelio declaratum est. Eiusdem de hostiariis.

Hostiarii sunt qui in veteri testamento ianitores templi vocabantur, qui preerant portis Hierusalem, quique ordinati per vices suas omnia interiora templi vel exteriora custodiebant. Hi denique inter sanctum et iniquum discernentes eos tantum in ecclesiam que sunt fideles recipiunt. In templum enim intrare non possunt nisi per hos. Habent enim potestatem tam bonos recipiendi quam reiciendi malignos.

Eiusdem de lectoribus.

Lectoris ordo formam et initium a prophetis accepit. Sunt igitur lectores qui verbum dei predicant, quibus dicitur: Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Isti quippe dum ordinantur, primum de eorum conversatione verbum facit ad populum; deinde coram plebe tradit eis codicem apicum divinorum ad dei verbum nuntiandum. Qui autem ad huiusmodi provehitur gradum, iste debet esse doctrina et libris imbutus, sensuumque ac verborum scientia perornatus, ita ut distinctiones sententiarum intelligat: ubi finiatur iunctura, ubi adhuc pendeat oratio, ubi sententia extrema claudatur. Sicque expeditus vim pronuntiationis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes sensusque promoveat, discernendo genera pronuntiationum atque exprimendo proprios sententiarum affectus, modo indicantis voce, modo dolentis, modo increpantis, modo exhortantis, sive his similia, secundum genus proprie pronuntiationis. In quo maxime illa ambigua sententiarum est adhibenda cognitio. Multa enim in scripturis sunt que nisi proprio modo pronuntientur in contrariam recedunt sententiam, sicuti est illud: Quis accusabit adversus electos dei? Deus qui iustificat. Quod si confirmative non servato genere pronuntiationis sue dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo est pronuntiandum, ac si diceret: Deus ne qui iustificat? Subauditur non. Necesse est ergo in tantis rebus pronuntiationis scientie ingenium quo proprie singula conveniantque pronuntiantur. Propterea et accentuum vim oportet lectorem scire, ut noverit in qua syllaba vox protendatur pronuntiantis. Plerumque enim imperiti lectores in verborum accentibus errant, et solent nos irridere imperiti hi qui videntur habere noticiam, detrahentes et iurantes penitus nos nescire quod dicimus. Porro vox lectoris simplex et clara erit, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena suco virili, agrestem et subrusticum effugiens sonum, non humilis nec adeo sublimis, vel fracta vel tenera, nihilque femineum sonans, neque cum motu corporis sed tantum cum gravitatis specie. Auribus enim et cordi consulere debet lector, non oculis, ne potius ex se ipso expectatores magis quam auditores faciat. Vetus opinio est lectoris pronuntiandi causa precipuam curam habuisse, ut exaudiri in tumultu possit. Unde et dudum lectores precones vel proclamatores vocabantur. Eiusdem de exorcistis.

In hoc ordine et mysterio ecclesie decet esse exorcistas secundum officia que in templo